



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Antoninvs M. 2. Septemb.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)



modò sed gravioris etiam sceleris impetravit, quod quidem studiosè ille occultavit, sed ÆGIDIUS sub divinis scheda annotatum è cælo accepit, nunquam delendum, nisi stylum Rex vertisset. Divus porrò noster satis jam à terrâ lactatus ad perennes beatitatis fontes contendit, quos adeò appetivisse quid mirum est? à nutrice suâ cervâ fictim hanc bibit. Ex *Lippeloo & Pet. de Natal.*

S. ANTONINVS M. 2. Septemb.

POTerat ANTONINVS è Galliis oriundus forte suâ contentus nobilem & in digitis anulum & in pedibus lunulam jactare, sed nimium quantum ambitiosus purpuram insuper ausus est sperare, quam ut cælum illi lubentius pingeret, non dubitavit, ostro deficiente, sanguinem promittere. Incredibile enim dictu est, quam inde à puero pro Christo hunc fundere gestierit. Et verò non passus repulsam est, æternâ præsertim virginitate candidatus: sed sacerdotio initiatus cum baculi ictu populis ad Christiana sacra adductis undas dedisset, ipse altero, sed gladii, ictu promissum diu cruorem dedit, utque hic copiosior flueret, corpus in partes sectum, partes in aquas sparsa. Sed præclarum ostrum, martyris inquâ sanguis omnis in undis officiosus coivit, ipsæ undæ ut

ne



3. SEPT. *Vita Sanctorum.* 481  
ne tumultu ANTONINVM prohibe-  
rent, penitus abscessere. Iam caput no-  
bile volucres cæli mentes aquilas in-  
duta, naviculâ ad Principis Festi, quem  
Christo martyr pepererat, regiâ usque,  
secundo flumine, deduxerunt. At Festus  
Divi ædes templû & Capituli sacri mo-  
numentum esse iussit. Nos etiam pro  
meritis ANTONINVM laudaremus, si  
vel unam illâ, de quibus diximus, vo-  
lucres pennam dedissent. *Ex Mombritio  
& Petro de Natalibus.*

S. AIGVLPHVVS M. 3. Septembris.

**H**VMILES cunas AIGVLPHVVS mag-  
nis virtutibus nobilitavit, mona-  
chus primò Floriacensis, tum Abbas Li-  
xinensis factus. Vnus certe dignus à  
Deo habitus est, qui, somno monitore,  
opima illa spolia (ossa D. Benedicti)  
Cassino in Gallias asportaret. Cæterum  
invidia Arcadium quendam & suo mi-  
nimè dignum nomine Columbum,  
(Pseudomonachum utrumque,) excivit,  
qui virum & monasterio & virâ eji-  
cerent. Excepit AIGVLPHVVS amico  
convivio hostes, & cæsus atque in vin-  
cula datus, licet ab ipso custode ad fu-  
giendum animaretur, turpi fuga glo-  
riosum carcerem prætulit. Inde captivus  
cum suis abductus, cum tempestate  
diebus XL. jactarentur, solus portû sibi  
petere visus est. Et petebat, sed beatita-

H h 5 tis;